



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.11. SS. Eucharistiæ abusus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

Confessarius eum, cuius confessionem audiuit, ex hac scientia reprehendere, debet ergo necessario vel nullum dare testimonium, vel eum commendare. Suspectum itaque haberi potest tale testimonium. Et nec ipse Confessarius bene agit, si tali ex causa confitentem ad matrimonia, vel alia officia splendida promouet. Multoq; minus credendum est illis poenitentibus, qui se jactant, leuem poenitentiam à Confessario iniunctam accepisse, quasi leuem dumtaxat meruissent; cum constet eos impurissimos esse, ac flagellis, cilicijs, grauissimis poenitentijs dignos esse.

XI.  
SS. EV-  
CHARI-  
STIAE AB-  
VSVS.

Quid quod 8. Ipsa SS. Eucharistia, res, omnium sanctissima, mille modis violatur, inhonoretur, contemnatur? Nam eius cultum alij omnino negant; alij non aestimant; alij peruertunt, atque in ignominiam mutant. Instituta est in memoriam passionis Domini, vt inde diuinam bonitatem memoria recolentes, in amore eius crescamus, & ad gratiarum actionem accendamus, dixit enim: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumq; enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Atqui multi non in memo-

I Cor. II.  
26.

memo-

memoriam, sed in iniuriam Domini id faciunt, Christumq; sibi, quasi de nouo crucifigunt. *Quicumque*, ait Apostolus, *manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Quot enim, præsertim hoc Paschali tempore, communicant sacrilegè confessi: habentes affectum occultum odij, scortationis, rei alienæ retinendæ? Quare sicut in Iudam post buccellam acceptam, intrauit Satanas; ita in tales, dum intrat in os Christus, intrat Christum illico expulsurus diabolus. Quid prodest in ore Christus, si sit in corde diabolus? Nam hunc ibi esse, inde apparet, quia *ex abundantia cordis os loquitur; & ex oris halitus intelligitur, quid homo ederit biberitue.* Quid enim de illo sentitis, qui, vt aliàs dixi, SS. Eucharistia vix in templo sumpta, domum rediens, quasi pœniteret eum ad sacram mensam accessisse; illico perquam sanè iactanter ait: *Quàm pulchra mecum hodie femina synaxin sumpsit; non potui eius formam contemnere &c.* David Deo plenus dicebat: *Eructauit cor meum Verbum bonum:* quid de istis dicemus, qui talia verba eructant? qua spurcitie erunt pleni?

Ibid. 7.  
27.  
Plal. 40.

Quis

Quis credat, talem linguam fuisse sanguine Christi irrigatam? In ore gerunt Redemptorem, corde præferunt meretricem, quam oculis intuentur. Hinc eò proceditur, vt tandem sacrosancta hostia ex ore exempta, vel Iudæis vendatur, conuulneranda, vel furæ insuatur, aut veneficorum artificio vertatur in vnguentum sagarum, maximis spurcitijs inquinata.

**XII.**  
**INFINITA**  
**DEI AD**  
**IGNOS-**  
**CENDVM**  
**CLEMEN-**  
**TIA, QVA**  
**BONI**  
**VTVNTVR,**  
**MALIAEV-**  
**TVNTVR.**

**Matt. 18.**  
**22.**

**Rom. 2. 4.**

Videtis extremam hominum malitiam? populatione, cædibus, bellis, immo Inferno dignam? & si fieri posset, meritam, vt mille Inferni inter se necerentur. Hanc omnem malitiam Deus ab æterno præuidit, & tamen adeò infinita est eius bonitas & misericordia, vt quasi non videret, hominem nihilominus conderet, ei hæc ipsa sacramenta offerret, quæ illi, etiam post hæc omnia enarrata, in remedium salutis essent. Nimirum adeò est clemens, vt cum voluerit homines sibi inuicem in die, non solum vsque septies, sed etiam vsque *septuagies septies*, hoc est, sine numero & sine, ignoscere, multò id ipse vellet magis præstare, vt nos ad penitentiam adducat. Inter homines nihil est difficilius, quàm vel leuem iniuriam lædenti ignoscere: opus autem

tem